



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1859**

XXIII. Papst Nicolaus V. bestätigt dem Kloster Arendsee auf Antrag des Kurfürsten Friedrich die Incorporation des in der Klosterkirche gelegenen Altars Petri und Pauli, am 10. September 1447.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55003](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55003)

XXIII. Papst Nicolans V. bestätigt dem Kloster Arendsee auf Antrag des Kurfürsten Friedrich die Incorporation des in der Klosterkirche gelegenen Altars Petri und Pauli, am 10. September 1447.

Nicolaus etc. Ad futuram rei memoriam. Eterne beatitudinis amatores, que habitu religionis assumpto uni viro, Cristo videlicet, se voto celebri desponsarunt, paterna benivolentia prosequentes, illa libenter eis concedimus, per que ab oneribus releventur et necessitatibus earundem provideatur. Dudum siquidem Bonifacius nonus sic in sua obedientia nuncupatus, volens dilectas in Cristo filias Priorissam et Conventum Monasterii Monialium Beate Marie Virginis in arnesse, Verdenfis Diocesis, ordinis Sancti Benedicti, per Priorissam soliti gubernarie, ab oneribus relevare, altare Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum in ecclesia dicti Monasterii Situm, clericis Secularibus consuetum assignari, ad collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem dilecte in Cristo filie Priorisse dicti Monasterii pro tempore existentium spectans, eidem Monasterio sub certis forma, et modo perpetuo univit, annexit et incorporavit et deinde se. re. Martinus Papa quintus, predecessor noster, Episcopo Verdenfi, eius nomine proprio non expresso, dedit in mandatis, ut se de exilitate fructuum, reddituum et proventuum dicti Monasterii et aliis sibi expositis informaret, et si per informationem huiusmodi ita esse reperiret, altare predictum cum omnibus iuribus et pertinentiis suis prefate Monasterio auctoritate Apostolica perpetuo uniret, annecteret et incorporaret aliaque omnia huic necessaria et Oportuna faceret et exequeretur, quemadmodum foret oportuna, prout in Bonifacii predecessoris huiusmodi litteris, quarum tenores presentibus pro sufficienter expressis habemus, desuper confectis, plenius continetur. Cum autem sicut accepimus ad executionem litterarum dicti predecessoris processum ac Altare prefatum Monasterio huiusmodi vigore litterarum mandati de uniendo incorporatum priorissaque et Conventus eiusdem Monasterii dictum Altare cum omnibus iuribus et pertinentiis supradictis assecuti fuerint, dubitentque tempore procedente super eodem altare molestari posse unioneque incorporatione et annexione huiusmodi ex certis causibus Viribus non subsistere: Quare pro parte dilecti filii nobilis viri Frederici, Marchionis Brandenburgensis ac Sacri Imperii Electoris et archicamerarii, Nobis super hoc fuit humiliter supplicatum, ut Priorisse et conventui predictorum Statui in premissis providere ac unioni, incorporationi et annexioni Altaris huiusmodi prefato Monasterio ut premittitur factis pro illarum subsistencia firmiori robur apostolice confirmationis adiacere de benignitate apostolica dignaremur: Nos igitur dicti Marchionis supplicationibus inclinati unionem, incorporationem et annexionem dicti altaris prefato Monasterio per Bonifacium et Predecessorem predictos ut premittitur factas, et quecumque inde secuta rata habentes et grata, illa auctoritate apostolica ex certa sententia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, omnesque et singulos defectus, si qui intervenerint in eisdem, ex simili sententia supplementis, Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis atque nostris ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno vero Millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, quarto idus Septembris, Pontificatus nostri anno primo.

Nach einer Abschrift aus dem Vaticanischen Geh. Archive Anno I, p. 28 T. IV.